

Illustrissimum dominum Sigismundum Fridericum a Trauthmonstorff, liberum Baronem in Negaw, Burgaw, Gleichenberg et Toczenpoch, Confiniorum huius Regni Sclavoniae Generalem et Arcis Graecensis Supremum Capitaneum, praeterea Magnificum Paulum Apponi de Nagy Appon, Consiliarios et Plenipotentiarios Commissarios suos, in praemisso grauaminum et querelarum negotio, et ad capessenda gubernacula horum Regnorum, ad eosdem Fideles Status ac Ordines benigne alegasset. Pro qua quidem Sacratissimae Suae Maiestatis tam pia, et tanto Principe in suos Fideles subditos digna benignitate, ac clementia, paternaque cura et sollicitudine, vniuersi Status ac Ordines praefatorum Regnorum fortunas, aras, sanguinem et uitam ipsam, cum constanti fidelitatis ipsorum debita oblatione Sacratissimae Suae Maiestati humillime perpetuo uouent ac dedicant, prae-naratosque eiusdem Sacratissimae Maiestatis Plenipotentiarios Commissarios cum debita reuerentia (ut par est) acceptant.

Verum cum tantum absit, ut memoratus dominus Banus, tot manifestissimis querelis Regnicolarum, et publice in proxime praemissa praecedenti Generali Congregatione ipsorum, coram eodem uerbis propositis, et Sacratissimae Suae Maiestati in scriptis transmissis, de se aliquam futurae emendationis et cum Statibus ac Ordinibus Regni, instar aliorum Banorum, gloriissimae remniscentiae, debitae accordationis, spem dedisset: quod statim finita praemissa Generali Congregatione, Nobilem Joannem Krusselium, Sacrae Regni Hungariae Coronae Fiscalem et Directorem Causarum Regalium etc. in dicta causa, inauditum, absque ulla Juris et iustitiae forma, ex solo Praeconcepto odio et rancore, quod videlicet Virginis Erdeödianae, per eundem dominum Banum repudiatae, Causam in foro Spirituali coram Capitulo Ecclesiae Zagrabiensis defendisset; ex eodem Juditio descendenter dirissimis uerberibus et vulneribus affectum, uinctum in Castrum suum Greben transmisisset, quem ipsem paulo post insecutus, cum Carnifice miserabiliter torqueri, et supra omnem tyrannidem excruciali fecisset, inquirendo per eundem Carnificem in uitam etiam quorundam magni nominis virorum, Sacratissimae Maiestatis sua fidelium subditorum. Quem quidem Krusselium Sacratissima Maiestas sua, ex innata sua clementia et benignitate, (licet antea crimine laesae Maiestatis notatum) per strictissima sua mandata et decreta, dicto domino Bano manumittendum et emancipandum commisisset; Idem tamen Krusselius, ita afflictus et excarnificatus, in hodiernum usque diem, contra appertissimam Suae Maiestatis uoluntatem, in tam dirissima Captiuitate seruaretur, vt nullus neque corporis neque animae curandae gratia etiam ex religiosis ad ipsum admitteretur, adeo, ut iam in desperationem ipsam prolapsus certo feratur: quod quidem factum omnem barbaricam tyrannidem superare uidetur.

Sed et aliis praecipuis Nobilibus personis idem dominus Banus minitari assuetus fuisset, prout expressissime in manu sua scriptis litteris, ad Egregium Gabrielem Bukouachky, Vice-Comitem Comitatus Zagrabiensis, in negotio arrestati Caballi cuiusdam datis, et Stephano Gereczy, Exactori Contributionum Comitatus Varasdinenensis, nisi pedites Regni, qui Arcem suam Greben custodirent, Contributione Comitatus exsolueret, quod eosdem pedites Regni ad domos et Curias Nobilitares utriusque illorum expedire uellet, prout certis etiam Nobilibus personis bona haereditaria ipsorum occupasset.